

MAVRICIVS DEI GRATIA
EPISCOPVS AYSTETTENSIS ET PRÆE-
POSITVS HERBIPOLENSIS.

174



Enerabilibus & Honorabilibus nobis in Christo dilectis ac deuotis Abbatibus, Præpositis, Decanis, Scholasticis, Cantoribus, Custodibus, Plebanis, Vicarijs monasteriorumq; Prioribus, Guardianis, & ordinum seu domuum quarumcunq; superioribus, nec non Capitulorum ruralium Decanis, Camerarijs & adfessoribus, cæterisq; omnibus & singulis personis ecclesiasticis p[er] Aystettensem ubicunq; constitutis salutem in Domino.

Cum pro Episcopali dignitate, qua Deo annuente licet indigni, fungimur, hæ nobis partes incumbant, ut ouium nostrarum saluti diligentia quanta possimus maxima consulamus, idq; potissimum hoc perturbatissimo sæculo, quo (proh dolor & nefas) neq; clerus, qui sal terræ lux mundi & forma gregis esse, neq; populus, qui parere potius et subsequi, quam præcedere atq; illius officium sibi petulanter usurpare debebat, suo satis officio faciunt; Nosq; eam functionem agnoscentes nihil tam desiderauimus semper, quã ijs malis pro gloria dei & animarum salute mederi, obstiteret tamen hucusq; ardentibus uotis nostris & pijs conatibus aduersa multa. Ea uero quia nunc diuina clementia maiori ex parte sopita atq; sublata esse uideantur, magna sane diuq; exoptata, restituendi scilicet pristino suo nitore ecclesias, & prauos hominum mores emendandi commoditas affulsit, quæ quidem præcipue in synodis, cum Episcopalis tum prouincialibus rite celebrandis (prout eas in ecclesiam reuocandas & renouandas ad instantiam sacræ Cæsareæ Maiest. in conuentu Augustano proxime præterito Archiepiscopi nostri & nos Episcopi unanimiter conclusimus) posita est. His enim præcipua agri dominici cultura constat, his spinæ ac tribuli hæresium schismatumq; eradicantur, suppullulantes errores extirpantur, deformata subindereformantur, & uinea domini Sabaoth ad frugem uberrimam præparatur, his demum sancti Patres olim in ecclesijs syncceram doctrinam & incorruptam disciplinam conseruarunt, quorum uestigijs pie in hærentes, nos quoq; synodum Episcopalem ex autoritate nostra ordinaria, accedente mandato etiam Imperatorio, die Lunæ post Festum S. Catharinæ Virginis & Martyris, uicesima sexta nimirum Mensis Nouembris proxime futura celebrare maturo consilio decreuimus. Proinde ad eam uos omnes & singulos quos uel de iure uel consuetudine uocare debemus, ea lege quæ de sprete obedientia est, requirimus & peremptorie citamus, mandantes ut dicto die mane hora septima per uosmetipsos aut alios ex unoquoq; Collegio aut decanatu rurali ad minus tres uel quatuor, eosq; idoneos cum sufficienti & pleno mandato, habitibus uestris ecclesiasticis siue superpellicijs, ut uocant, prelati aut cum suis pontificalibus ornamentis induti in ciuitate nostra Aystetrensi ad campanarum pulsum conueniatis audituri & recepturi quæ iuxta formulam reformationis a S. Cæsarea Maiest. nobis præscriptam & uobis iam antea exhibitam ad correctionem cleri & populi uestro etiam accedente consilio salubriter cooperante spiritus sancti gratia, nihil tamen interea uel sedi Apostolicæ uel Concilio generali præiudicantes, statuemus. Hocq; uos ita facturos planè confidimus. Datum in ciuitate nostra Aystetrensi sub sigillo nostro Pontificali XXIX Octobris. Anno Domini M. D. XLVIII.

MAGISTRATUS CIVIS DEI GRATIA
EPISCOPUS & ARCHIEPISCOPUS
POSITIVS & HEREDITARIUS

In Nomine Domini Amen. Nos Johannes Magister Civis Dei Gratia
Episcopus & Archiepiscopus Positivus & Hereditarius

A. 1540.

174

Actum in Curia Archiepiscopali Positiva & Hereditaria
die 15 Junii 1540. Presentibus Johannes Magister Civis Dei Gratia
Episcopus & Archiepiscopus Positivus & Hereditarius